

cationem ex speciali Christi voluntate, in quo convenit cum sacramentis : differt tamen, ut dixi, in modo stabilis et fixæ significationis, et ideo non habuit rationem sacramenti. Dices : quod res magis, vel minus duret, non variat ejus rationem ; ergo, quod signum sit lege stabili institutum, aut ad breve tempus, vel unum actum, non variabit rationem signi ; ergo nec rationem sacramenti. Respondetur hoc verum esse, si ratio signi, tantum metaphysice consideretur : at vero si moraliter, et in ordine ad humanos usus spectetur, sic valde diversam rationem habet, nam uno modo accipitur tamquam res permanens, et religiosa cæremonia ; alio autem modo, ut actio quædam transiens ; sub nomine autem, et ratione sacramenti, priori modo significatur, ut jam declaratum est.

SECTIO IV.

Quænam definitio sacramenti ex prædictis omnibus colligatur.

1. *Alii sacramentum esse putant aggregatum ex multis. — Alii tantum significationem. — Sententia auctoris. — Sacramentum dicit significationem in tali materia. — In sacramento invenitur aliqua unitas. — Aliqui Theologi dixerunt, sacramentum non posse definiri, quia non est unum ens, sed aggregatum ex multis, aut ex ente reali, et rationis, in quam sententiam referunt Scotus, in 4, dist. 4, quæst. 2 ; Richard., art. 4, quæst. 2 ; et Major quæst. 4 ; sed nec Scot. id dicit, neque alii auctores in re possunt ab aliis dissentire, qui judicant sacramentum posse absolute, et simpliciter definiri, eo modo quo habet esse, ut discipuli D. Thomæ sentiunt. Ad hoc autem explicandum, alii necessarium existimant dicere solam significationem esse essentiam sacramenti, ut ejus ratio sit per se una, ac definibilis, quod significare visus est Scot., in d. quæst., § De secundo principali ; sed quamvis fortasse quæstio sit de nomine, non censeo sic esse loquendum. Nam sacramentum non est sola significatio, sed essentialiter includit rem significatam, sicut domus non est sola figura, sed res artificialis constans ex tali materia cum tali figura ; et nomen, aut verbum, non dicit solam significationem, sed vocem, aut figuram sic significantem : sic ergo sacramentum non dicit solam significationem, sed illam in tali materia, seu compositum ex tali re, et significatione, quæ est veluti*

forma illud constituens. Quocirca quamvis sacramentum non sit tam per se unum, sicut homo, et ideo definiri non possit tam exacta definitione, sicut definiri solet substantia, nihilominus non est omnino unum per accidens, seu per aggregationem, sed habet suum modum compositionis, et unitatis formalis, ratione cujus sufficienter potest definiri, seu describi. Nam in sacramento si consideremus significationem, et rem significantem, illa duo conjunguntur per modum actus, et potentia ; si vero consideremus rem ipsam ad significandum impositam, quæ interdum non est una tantum, sed multæ, adhuc in eis invenire licet aliquem modum potentia, et actus, seu aliquam certam habitudinem vel ordinem, in quo conveniunt ad componendum unum sacramentum sub eadem ratione signi, atque hoc modo componunt unum aliquid per modum entis artificialis ; ad hunc enim modum reperitur unitas in exercitu, oratione, etc.

2. *Hæreticorum in definiendo sacramento varii errores. — Hoc ergo supposito variæ traduntur definitiones, non solum a Catholicis, sed etiam ab hæreticis ; sed hæretici tot mutant definitiones, et addunt vel tollunt particulas, quot ad suos errores tuendos necessariæ illis videntur, et ideo refutatis eorum erroribus pravæ illorum definitiones per se concidunt. Quapropter in eis referendis, vel refutandis immorari non oportet, sed de ea re legi possunt auctores citati, qui ex professo contra eos scripserunt : ex definitionibus vero, quas Catholici assignant, duæ videntur potiores, quæ a nobis exponendæ sunt.*

3. *Primo, sacramentum definitur a Magistro. — Propria definitio. — Quomodo prædicta definitio nostris sacramentis aptetur. — Prima definitio est Magistri, dist. 4 : Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma, ejusdem gratiæ similitudinem gerens, et causa existens. Quæ sumpta est ex Hugone, in summa Sententiar., tr. 4, cap. 4, et in eadem fere coincidit alia, quam pluribus verbis tradit idem Hugo, lib. 4 de Sacram., p. 9, cap. 4 : Sacramentum est materiale elementum sensibiliter propositum, ex similitudine representans, et ex institutione significans, et ex sanctificatione continens aliquam invisibilem et spiritualem gratiam. Cujus definitionis particulae omnes ex hætenus tractatis satis claræ sunt, præter illam, elementum sensibiliter propositum ; nomine enim elementum, non significatur aliquod corpus simplex,*

sed quodlibet sensibile corpus, in cujus usu, vel consecratione sacramentum conficitur, et verbis, quæ sunt forma sacramenti, tamquam materia supponitur, et ideo elementum dicitur, ut statim in Comment. art. 4, et latius in disputat. seq. dicturi sumus. Nec multum ab eadem definitione differt ea, quæ habetur in Catechismo Pii V : Sacramentum est invisibilis gratiæ visibile signum, ad nostram justificationem institutum : tamen hæc definitio, ut ex verbis ejus constat, non solum definit sacramentum, ut signum, sed etiam, ut causam gratiæ. Unde non convenit sacramento, ut sic, sed ut sacramento novæ legis, et hoc modo est satis apta definitio, præsertim prout ultimis verbis proposita est, nam priores definitiones paulo sunt longiores, quam expediat, et particulas continent, vel obscuras, vel non omnino necessarias, qualis est illa, quod sacramentum significare debet ex similitudine, quæ omnibus quidem sacramentis convenit, quæ de facto instituta sunt, et quamvis non sit simpliciter necessaria, tamen ex quadam congruitate, et sapienter institutione, semper observatur, et ideo non oportet eam distincte in definitione explicare, quia eo modo, quo requisita est, in ipsa divina institutione virtute continetur. Secunda est D. Thomæ hæc : Sacramentum est signum rei sacræ, quam sumpsit ex Augustino ; 10 de Civit. Dei, cap. 5, quamquam Augustinus ibi generalius nomine sacramenti utatur, ut sacrificium etiam comprehendat, cui etiam definitionem illam accommodat : eadem vero definitio reperitur apud Hugonem supra, et Bern., serm. de Cæna Dom., eamque multi ex scriptoribus supra citatis libenter amplectuntur propter illius breviter, tamen propter eandem causam non potuit non esse subobscura. Unde, ut convertatur cum definito, nonnulla, vel explicare, vel subintelligere necesse est : et in primis D. Thomas addidit illam particulam, seu determinationem, *rei sacræ, quatenus sanctificat homines*, ut intelligeremus, non satis esse ad rationem sacramenti, ut significet quæcumque rem sacram, sed oportere ut significet hominis sanctificationem, quæ fit per gratiam, et causas ejus : de hac enim significatione D. Thomas loquitur. Rursus juxta ea, quæ diximus, subintelligendum est, hoc signum tale esse debere, ut aliquam homini sanctificationem conferat, nam ostensum est, hoc esse de ratione sacramenti. Unde exponendo definitionem illam posset clarius dici : Sacramentum est signum

sensibile ad sanctificationem aliquam conferendam, et veram animæ sanctitatem significandam institutum. Vel (si more Aristotelico definire velimus) dicere possumus : Sacramentum est sacra, ac sensibilis cæremonia, homines aliquo modo sanctificans, et veram animæ sanctitatem ex institutione significans. Quæ definitiones ex supradictis satis claræ sunt, et probari facile possunt, quia, et conveniunt omnibus sacramentis, et habent omnes particulas sufficientes ad excludenda omnia signa sacra, quæ sacramenta non sunt, qualia sunt sacrificium, usus aquæ benedictæ et similia, de quibus jam diximus. Porro prædicta definitio facile potest ad sacramenta novæ legis coarctari, addendo hujusmodi sacramentum significare veram animæ sanctitatem, quam confert, seu quatenus ab ipso confertur ; et ex parte rei ad significandum impositæ posset addi, debere constare materia et forma, seu rebus et verbis, de quo jam dicemus. Denique servata proportione facile potest contrahi illa definitio ad sacramenta veteris legis, addendo fuisse instituta ad conferendum legalem sanctitatem, per quam vera sanctitas per Christum conferenda significabatur, quæ tamen definitio non videtur competere circumcisioni, quæ antiquior fuit, quam sacramenta veteris legis, neque etiam sacramento legis naturæ ; sed in hoc inculcatur gravis difficultas infra tractanda, qua explicata, facile erit, definitionem his etiam sacramentis accommodare : fuerunt enim illa quasi media inter sacramenta novæ legis, et propria sacramenta legalia, quia nec conferebant gratiam propria virtute, unde non significabant gratiam a se collatam, sicut nostra sacramenta ; nec solum significabant gratiam, ut futuram seu promissam, sed etiam indicabant præsentem, quæ in ipsis dabatur.

ARTICULUS IV.

Utrum sacramentum sit semper aliqua res sensibilis (4, d. 4, quæst. 1, art. 1, quæst. 1, et art. 2, quæst. 1, et art. 3, corp. Et 4 contra, c. 56, et Joan. 3, 1 Cor. 4).

1. *Ad 4 sic proceditur. Videtur, quod sacramentum non semper sit aliqua res sensibilis. Quia secundum Philosophum, in lib. Priorum, omnis effectus, suæ causæ signum est. Sed sicut sunt quidam effectus sensibiles, ita etiam sunt quidam effectus intelligibiles, sicut scientia est effectus demonstrationis. Ergo non omne signum est sensibile. Sufficit*

autem ad rationem sacramenti, quod sit signum alicujus rei sacræ, in quantum per eam homo sanctificatur, ut dictum est (art. 2 hujus quæst.) Non ergo requiritur ad sacramentum, quod sit aliqua res sensibilis.

2. Præterea, sacramenta pertinent ad cultum vel regnum Dei. Sed res sensibiles non videntur pertinere ad cultum Dei. Dicitur enim Joan. 4: Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu, et veritate oportet adorare. Et Rom. 14: Non est regnum Dei, esca et potus. Ergo res sensibiles non requiruntur ad sacramentum.

3. Præterea, Augustinus dicit in lib. 2 de Libero arbitrio (cap. 45), quod res sensibiles sunt minima bona, sine quibus homo recte vivere potest. Sed sacramenta sunt de necessitate salutis humanæ (ut infra patebit, quæst. 61), et ita sine eis homo recte vivere non potest. Non ergo res sensibiles requiruntur ad sacramenta.

Sed contra est, quod Augustinus dicit super Joan. (tract. 80, post medium): Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum. Et loquitur ibi, de elemento sensibili, quod est aqua. Ergo res sensibiles requiruntur ad sacramenta.

Respondeo dicendum, quod sapientia divina unicuique rei providet secundum suum modum, et propter hoc dicitur Sap. 8, quod suaviter disponit omnia. Unde et Matth. 23, dicitur, quod dedit unicuique secundum propriam virtutem. Est autem homini connaturale, ut per sensibilia perveniat in cognitionem intelligibilem. Signum autem est, per quod aliquis devenit in cognitionem alterius. Unde, cum res sacræ, quæ per sacramenta significantur, sint quædam spiritualia, et intelligibilia bona, quibus homo sanctificatur, consequens est, ut per aliquas res sensibiles significatio sacramenti impleatur, sicut etiam per similitudinem sensibilibus rerum in divina Scriptura res spirituales nobis describuntur. Et inde est, quod ad sacramenta requiruntur res sensibiles, ut etiam Dionysius probat in 4 cap. Cælest. Hierar.

Ad 1 ergo dicendum, quod unumquodque præcipue denominatur, et definitur secundum id, quod convenit ei primo, et per se, non autem secundum id, quod convenit ei per aliud. Effectus autem sensibilis, per se habet, quod ducat in cognitionem alterius quasi primo et per se homini innotescens, quia omnis nostra cognitio a sensu oritur: effectus autem intelligibiles non habent, quod possint ducere in

cognitionem alterius, nisi in quantum sunt per aliud manifestati, id est, per aliqua sensibilia. Et inde est, quod primo, et principaliter dicuntur signa, quæ sensibus offeruntur, sicut Augustinus dicit in 2 de Doctrina Christiana (circa principium), ubi dicit, quod signum est, quod præter speciem, quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire. Effectus autem intelligibiles non habent rationem signi, nisi secundum quod sunt manifestati per aliqua signa. Et per hunc etiam modum quædam, quæ non sunt sensibilia, dicuntur quodammodo sacramenta, in quantum sunt significata per aliqua sensibilia, de quibus infra agetur (quæst. 63, art. 6, ad 2).

Ad 2, dicendum, quod res sensibiles, ut in sua natura considerantur, non pertinent ad cultum vel ad regnum Dei, sed solum secundum quod sunt signa spiritualium rerum, in quibus regnum Dei consistit.

Ad 3, dicendum, quod Augustinus ibi (loco citato in argum. 3), loquitur de rebus sensibilibus, secundum quod sunt in sua natura, non autem secundum quod assumuntur ad significandum spiritualia, quæ sunt maxima bona.

COMMENTARIUS.

Duplex sensus quæstionis.—Sensus D. Thom.—Duobus modis potest res sensibilis accipi in quæstione hoc articulo proposita. Primo, ut significet quamcumque rem, quæ sensibus percipi potest, et hoc modo etiam verba sunt res sensibiles, et in hoc sensu tractata est a nobis hæc quæstio disputatione præcedenti, sectione 3, et eundem videntur præ se ferre omnia argumenta, quæ D. Thomas objicit, quorum solutiones faciles sunt. Et difficultas, quæ tangitur in solutione ad 1, an sacramentum esse possit signum spirituale, in prædicto loco explicata est. Secundus sensus est, ut res sensibilis a verbis distinguatur, et significet rem aliquam permanentem corpoream, quæ sensibus percipi possit, qualis est aqua, oleum, et similes, quam Hugo paulo antea citatus nomine elementi significavit, et sumpsit ex Augustino, tract. 80 in Joan., dicente: Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum, quæ verba retulit hic D. Thomas in argumento Sed contra. Ex quo non obscure constat hunc posteriorem sensum esse a D. Thoma intentum, quem magis ipse explicuit infra art. 6, ubi specialiter inqui-

rit, an præter res requirantur verba; et ibi ad 2, declarat, nomine rei sensibilis non tantum intelligi rem ipsam permanentem, sed vel illam, vel usum ejus, qualis est ablutio, unctio, etc. In hoc ergo sensu respondet, sacramentum debere constitui in aliqua re sensibili: quam assertionem egregie probat ex naturali modo, et accommodato homini, qui intelligibilia per sensibilia intelligit. Quæ quidem ratio in superioribus est ex Patribus confirmata, et explicata, et quia generalis est in omni tempore et statu humanæ naturæ, quamdiu homo est in via, ideo assertio posita in omnibus sacramentis cujuscumque legis et status locum habet. Solum posset dubitari, quia prædicta ratio solum videtur procedere in priori sensu: quia humana cognitio, non solum ex rebus, sed etiam ex verbis sensibilibus accipi potest. Respondetur verum esse, rationem D. Thomæ non probare necessitatem simpliciter, sed congruitatem, quæ non solum in hoc consistit, quod humana cognitio incipit a sensu, ut objectio sumit, sed in hoc etiam, quod intelligibilia commode intelligantur a nobis per analogiam et proportionem ad sensibilia, et quatenus in eis aliquo modo representantur: hæc autem representatio non fit proprie per verba, sed per actiones aliquas, vel res sensibiles, in quibus sit quædam imago, vel vestigium potius intelligibile, quod recte declarat D. Thomas exemplo sumpto ex usu divinæ Scripturæ, in qua res divinæ non solum traduntur verbis, sed rebus etiam sensibilibus representantur, vel in prophetis visionibus, vel in parabolis, et metaphoricis locutionibus, vel certe in variis figuris, quarum pars quædam in usu sacramentorum consistit.

ARTICULUS V.

Utrum requirantur determinatæ res ad sacramenta.

1. Ad 5 sic proceditur. Videtur, quod non requirantur determinatæ res ad sacramenta. Res enim sensibiles assumuntur in sacramentis ad significandum, ut dictum est (art. 3 hujus quæst.). Sed nihil prohibet diversis rebus sensibilibus idem significari, sicut in sacra Scriptura Deus aliquando metaphorice significatur per lapidem, quandoque per leonem, quandoque per solem, aut aliquid aliud hujusmodi. Ergo videtur, quod diversæ res possint congruere eidem sacramento. Non ergo determinatæ res in sacramentis requiruntur.

2. Præterea, magis est necessaria salus animæ, quam salus corporis. Sed in medicinis corporalibus, quæ ad salutem corporis ordinantur, potest una res pro alia poni in ejus defectu. Ergo multo magis in sacramentis, quæ sunt medicinæ spirituales ad salutem animæ ordinatæ, poterit una res assumi pro alia, quando illa defuerit.

3. Præterea, non est conveniens, ut hominis salus arctetur per legem divinam, et præcipue per legem Christi, qui venit omnes salvare. Sed in statu legis naturæ non requirebantur in sacramentis aliquæ res determinatæ, sed ex voto assumebantur, ut patet Genes. 28, ubi Jacob vovit se Deo decimas et hostias pacificas oblaturum. Ergo videtur, quod non debuerit arctari homo, et præcipue in nova lege, ad alicujus rei determinatæ usum in sacramentis.

Sed contra est, quod Dominus dicit Joan. 3: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.

Respondeo dicendum, quod in usu sacramentorum duo possunt considerari, scilicet cultus divinus, et sanctificatio hominis. Quorum primum pertinet ad hominem per comparisonem ad Deum, secundum autem e converso pertinet ad Deum per comparisonem ad hominem. Non autem pertinet ad aliquem determinare illud, quod est in potestate alterius, sed solum id, quod est in sua potestate. Quia ergo sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis, non pertinet ad hominem suo iudicio assumere res, quibus sanctificetur, sed hoc debet esse ex divina institutione determinatum. Et ideo in sacramentis novæ legis, quibus homines sanctificantur (secundum illud 1 ad Corinth. 6: Abluti estis, sanctificati estis) oportet uti rebus ex divina institutione determinatis.

Ad 1 ergo dicendum, quod etsi idem potest per diversa signa significari, determinare tamen, quo signo sit utendum ad significandum, pertinet ad significantem. Deus autem est, qui nobis significat spiritualia per res sensibiles in sacramentis, et per verba similitudinaria in Scripturis. Et ideo sicut iudicio Spiritus Sanctus determinatum est, quibus similitudinibus in certis Scripturæ locis res spirituales significantur, ita etiam debet esse divina institutione determinatum, quæ res ad significandum assumantur in hoc vel in illo sacramento.

Ad 2, dicendum, quod res sensibiles habent naturaliter sibi inditas virtutes conferentes

ad corporalem salutem, et ideo non refert, si duæ earum eandem virtutem habeant, qua quis utatur. Sed ad sanctificationem non ordinantur ex aliqua virtute sibi naturaliter indita, sed solum ex institutione divina, et ideo oportuit divinitus determinari, quibus rebus sensibilibus sit in sacramentis utendum.

Ad 3, dicendum quod, sicut Augustinus dicit 19 contra Faustum (cap. 16 et 17): *Diversa sacramenta diversis temporibus congruunt, sic etiam diversis verbis significantur diversa tempora, scilicet præsens, præteritum, et futurum. Et sicut in statu legis naturæ homines nulla lege exterius data, sed solo interiori instinctu movebantur ad Deum colendum, ita etiam ex interiori instinctu determinabatur eis, quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum uterentur. Postmodum vero necesse fuit etiam exterius legem dari, tum propter obscuritatem legis naturæ, ex peccatis hominum, tum etiam ad expressiorem significationem gratiæ Christi, per quam humanum genus sanctificatur. Et ideo etiam necesse fuit res determinari, quibus homines uterentur in sacramentis. Nec propter hoc arctatur via salutis, quia res, quarum usus est necessarius in sacramentis, vel communiter habentur, vel parvo studio adhibito haberi possunt.*

COMMENTARIUS.

1. *Duplex sensus quæst.* — Res in sacramento debet esse determinata, prout est instituta ad significandum. — Duplex potest esse sensus hujus quæstionis. Prior, ut hæc necessitas intelligatur consequens institutionem. Posterior, ut intelligatur antecedens. Priori modo quæstio est, an facta institutione sacramenti, necessaria sit res determinata, ut sacramentum consistat, quo sensu facilis resolutio est, eo modo requiri res determinatas, quo per institutionem definitæ fuerint: habet enim sacramentum totum esse ab institutione, ut dictum est, quia est signum ad placitum: unde, sicut verba, vel scripturæ, vel alia similia signa ad placitum, habere debent eam figuram, vel compositionem, vel in universum illum entis modum, cui ex impositione adjuncta est significatio, ita sacramenta ex illis rebus necessario conficienda sunt, quæ per institutionem ad significandum sunt impositæ; atque ita, si institutio facta sit de tali re secundum speciem, illa erit necessaria ad sacramentum: si vero solum sit facta determinatio secundum genus, illa esset

sufficiens. Et in hoc sensu videtur tractari quæstio a D. Thoma; nam illa verba, quibus ad quæstionem respondet: *In sacramentis oportet uti rebus divina institutione determinatis*, in prædicto sensu quæstionem definiunt, et loca Scripturæ, quæ adducit, in eodem etiam loquuntur, et ratio, seu discursus ejus in eodem sensu procedit, scilicet, quia ad Deum pertinet determinare res, per quas homines sanctificentur, quæ ratio (ut ipsemet D. Thomas vidit) solum in sacramentis novæ legis procedit, potest autem facile ad omnia extendi, ex his quæ idem D. Thomas dicit in solut. ad 1, quia etiam ad Deum pertinet per res sensibiles effectum gratiæ significare, ut a nobis etiam supra dictum est. Posteriori modo quæstio est, utrum sacramentum ita institui debeat, ut res determinatæ præscribantur, ex quibus conficiatur sacramentum, et hoc etiam sensu videtur D. Thomæ definire quæstionem, præsertim in solut. ad 1, in illis verbis: Sicut iudicio Spiritus Sancti determinatum est, quibus similitudinibus in certis Scripturæ locis res spirituales significantur, ita etiam debet esse divina institutione determinatum, quæ res ad significandum assumantur in hoc vel in illo sacramento. In quibus hanc etiam rationem indicat, quia, nimirum per diversa sacramenta diversæ res significantur; ergo oportet etiam per res diversas significari; ergo oportet ad singula sacramenta conficienda determinatas res præscribi. Item, quia sacramenta instituuntur, ut per quandam similitudinem, et proportionem, nobis indicent spirituales effectus: sed non in omnibus rebus est similitudo et proportio ad quoslibet effectus representandos; ergo oportet res determinatas institui, aptas et accommodatas ad significationem intentam. Et hinc intelligitur etiam doctrina D. Thomæ, in solut. ad 2 et 3, nam in priori docet, duo sacramenta diversa non habere virtutes, seu significationes ejusdem rationis: quod intelligendum est de propriis et sacramentalibus effectibus, quia, sicut in diversis rebus instituuntur, ita ad diversos effectus significandos imponuntur, cum quibus propriam similitudinem et proportionem habent.

2. In solutione vero ad tertium docet in diversis legibus seu temporibus juxta diversos hominum status diverso modo fuisse res determinatas ad constitutionem sacramentorum. Unde colligitur, hanc determinationem non esse ejusdem rationis in omnibus, nec debere esse semper specificam aut genericam,

proximam, vel remotam, sed posse interdum fieri uno modo, interdum alio, juxta divinæ providentiæ et sapientiæ rationem, de quo plura dicemus postea, de variis sacramentorum generibus ac speciebus disputantes.

ARTICULUS VI.

Utrum in significatione sacramentorum requirantur verba (4, dist. 1, quæst. 1, art. 3, et dist. 13, quæst. 1, art. 2, quæst. 6, ad secundum. Et Ver., quæst. 27, art. 4, ad decimum).

1. *Ad 6 sic proceditur. Videtur, quod in significatione sacramentorum non requirantur verba. Dicit enim Augustinus contra Faustum (lib. 19, cap. 16, circa med., t. 6): Quid sunt aliud quæque corporalia sacramenta, nisi quasi quædam verba visibilia? Et sic videtur, quod addere verba rebus sensibilibus in sacramentis, sit addere verba verbis. Sed hoc est superfluum. Non ergo requiruntur verba cum rebus sensibilibus in sacramentis.*

2. *Præterea, sacramentum est aliquid unum. Ex his autem, quæ sunt diversorum generum non videtur posse aliquid unum fieri. Cum igitur res sensibiles et verba sint diversorum generum (quia res sensibiles sunt a natura, verba autem a ratione), videtur, quod in sacramentis non requirantur verba cum rebus sensibilibus.*

3. *Præterea, sacramenta novæ legis successerunt sacramentis veteris legis, quia illis ablatis ista sunt instituta, ut Augustinus dicit lib. 19, contra Faustum (c. 16 et 17). Sed in sacramentis veteris legis non requirebatur aliqua forma verborum. Ergo nec in sacramentis novæ legis.*

Sed contra est, quod Apostolus dicit Ephes. 5: Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ. Et Augustinus dicit supra Joan. (tract. 80, post med., t. 9): Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum.

Respondeo dicendum, quod sacramenta, sicut dictum est (art. 2 et 3), adhibentur ad hominum sanctificationem sicut quædam signa. Tripliciter ergo considerari possunt, et quolibet modo congruit eis, quod verba rebus sensibilibus adjungantur. Primo enim possunt considerari ex parte causæ sanctificantis, quæ est Verbum incarnatum, cui sacramentum quodammodo conformatur, in hoc, quod rei sensibili verbum adhibetur, sicut in mysterio incarnationis carni sensibili est Verbum Dei

unitum. Secundo possunt considerari sacramenta ex parte hominis, qui sanctificatur, qui componitur ex anima et corpore, cui proportionaliter sacramentalis medicina, quæ per rem visibilem corpus tangit, et per verbum ab anima creditur. Unde Augustinus (tract. 80 in Joan., post med., t. 9) dicit super illud Joan. 13: Jam vos mundi estis propter sermonem, etc.: Unde est ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? Tertio possunt considerari ex parte ipsius significationis sacramentalis. Dicit autem Augustinus in 2 de Doctr. Christ. (cap. 3, circa medium), quod verba inter homines obtinuerunt principatum significandi, quia verba diversimode formari possunt ad significandos diversos conceptus mentis, et propter hoc per verba magis distincte possumus exprimere quod mente concipimus. Et ideo ad perfectionem significationis sacramentalis necesse fuit, ut significatio rerum sensibilium per aliqua verba determinaretur. Aqua enim significare potest, et abluitionem propter suam humiditatem, et refrigerium propter suam frigiditatem. Sed cum dicitur: Ego te baptizo, manifestatur quod aqua utimur in baptismo ad significandam emundationem spiritualem.

Ad 1 ergo dicendum, quod res visibiles sacramentorum dicuntur verba per quandam similitudinem, in quantum scilicet participant quandam vim significandi, quæ principaliter est in ipsis verbis, ut dictum est (in corp. art.). Et ideo non est superflua ingeminatio verborum, cum in sacramentis, rebus visibilibus verba adduntur, quia unum eorum determinatur per aliud, ut dictum est (in corp. art.).

Ad 2, dicendum, quod quamvis verba, et aliæ res sensibiles sint in diverso genere, quantum pertinet ad naturam rei, conveniunt tamen in ratione significandi, quæ perfectius est in verbis quam in aliis rebus. Et ideo ex verbis et rebus fit quodammodo unum in sacramentis, sicut ex forma et materia, in quantum scilicet per verba perficitur significatio rerum, ut dictum est (art. 3, ad 1). Sub rebus autem comprehenduntur etiam ipsi actus sensibiles, puta ablutio, inunctio, et alia hujusmodi, quia in his est eadem ratio significandi, et in rebus.

Ad 3, dicendum quod, sicut Augustinus (lib. 19, cap. 6, t. 6), dicit contra Faustum, alia debent esse sacramenta rei præsentis, et alia rei futuræ. Sacramenta autem veteris